

magis tenemur evitare quam ipsa in se ordinata sit ex natura sua, scilicet sub peccato veniali.

XIV. Ultimo arguitur: Non videtur assignari sufficiens disparitas in aliquibus exemplis. Nam in primis non est ratio cur dicamus quolibet demeritorio non minui, præsertim cum possit esse aliquod veniale ita demeritorium, sicut aliquis actus remissus est meritorius. Item: Non est ratio cur habitus acquisiti sola negligentia et cessatione actuum minuatur, habitus autem infusi non minuantur negligentia venialium et cessatione actuum. Denique in amicitia humana, leviores offensæ minuunt ipsam amicitiam, et communicationem ejus: ergo etiam in divina. Quod et ipsa experientia videtur comprobari, cum ex frequentia venialium tepiditas magna consurgat, quæ est signum diminutionis charitatis, sicut ferventior, et expeditior conatus est signum augmenti: ideoque tam sancti quam patres sollicitè nos admonent de vitandis venialibus quæ si nimium crescant ipsam charitatem faciunt periclitari, et destrui.

XV. Respondet utesse disparitatem in istis exemplis. In primo quidem, quia omnis actus meritorius est ordinatus ad finem ultimum vitæ æternæ, illamque meretur; actus autem venialis non est deordinatus a fine ultimo, et si non potest mereri privationem aliquam habitus charitatis ordinantis in vitam æternam. In secundo exemplo, habitus acquisiti non minuuntur, et corrumpuntur sola cessatione actus directe sed occasionaliter, quatenus cessante actu insurgunt actus contrarii, quibus tollitur habitus, vel

obliviscimur objecti, a quo habitus dependet. Supernaturalis autem habitus non tollitur aliquo actu, nisi inducat privationem corruptivam illius, quo veniale peccatum non facit, licet disponat per impedimentum charitatis, ut insurgat actus peccati mortalis destruens illam.

XVI. In tertio exemplo, non minuitur amicitia humana per offensas leves, quamdiu cognoscuntur esse leves, et qui ideo amicitiam minueret quantum ad interiorem amorem irrationabiliter procederet: bene tamen possunt impedire aliquam communicationem extrinsecam, sicut faciunt peccata venialia. Vel secundo, amicitia humana multum dependet ab extrinseco, ita quod sola cessatione communicationis potest dissolvi, quæ si per leves offensas impediatur, dissolvetur tandem amicitia. At vero amicitia divina consistit in habitu infuso semper de se permanente, nisi culpa mortali tollatur. Neque experientia aliquid in oppositum comprobatur, quia illa tepiditas non est ex diminutione intrinseca, sed ex impedimento extrinseco; quod si tollatur poterit etiam habere fervorem charitatis promptitudinis, et applicationis erga illam materiam ordinandam in finem sine hoc quod intrinsecus habitus charitatis reddatur intensior: unde non est sufficiens signum augmenti, aut diminutionis intrinsecæ. Scriptura autem, et partes quando commendant evitacionem venialium, non dicunt venialia minuere charitatem intrinsece, aut corrumpere, sed sufficit quod dispositivè. Et hæc etiam sufficiant per totam istam materiam.

## QUÆSTIO LXIV.

# DE HOMICIDIO.

Absolute tractatu de virtutibus theologicis eodem fere ordine procedit S. Thomas ad explicandas virtutes cardinales, quæ sunt prudentia, justitia, fortitudo, et temperantia, et in qualibet quinque considerat. Primo, ipsam virtutem secundum se: secundo, partes ejus: tertio, donum ei correspondens: quarto, vita opposita: quinto, ejus præcepta. Inter pertinentia autem ad materiam justitiæ primo occurrunt partes subjectivæ, seu species illius, quæ sunt tres, scilicet justitia legalis, distributiva, et commutativa: cum enim constituat ordinem ad alterum potest iste ordo considerari vel inter partem, et partem, id est, inter duas personas privatas; vel inter totum et partem vel e converso inter partem et totum. Primo modo constituitur justitia commutativa, secundo modo distributiva, quatenus a capite derivatur ad partes reipublicæ conveniens distributio, tertio modo est justitia legalis, qua quælibet persona respicit bonum commune, et debitum legis.

Explicatis jam speciebus justitiæ, et earum actibus agit S. Thomas de vitiis oppositis. Et primo, de peccato opposito justitiæ distributivæ, quod est acceptio personarum, quæ attendit ad conditionem personæ, et non ad proportionem cum præmio. Et de hoc agit quæstione LXIII. Secundo, agit de vitiis oppositis justitiæ commutativæ, quæ sunt in multiplici differentia, et ita agit de illis usque ad quæstionem LXXVIII. Possunt autem sic in ordinem redigi. Nam justitia commutativa versatur circa commutationes rerum: possunt autem commutationes istæ fieri vel cum consensu, et voluntate utriusque partis, et sic proprie sunt actiones commutativæ: vel possunt fieri altero invito seu patiente, et sunt commutationes involuntariæ. Circa commutationes involuntarias potest committi injustitia, sive injuria, vel facto, vel verbo: facto vel in personam propriam, vel in conjunctam, vel in res possessas. Si primo modo aut fit injuria per homicidium, et de hoc agit S. Thomas quæstione LXIV, vel per poenalem tractationem personæ ut per mutilationem, verberationem, incarcerationem, etc. Et de hoc agit quæstione LXV. Si in personam conjunctam, vel in uxorem per adulterium, vel in filiam per stuprum, vel in consanguineam per incestum, et de his agit infra tractando de speciebus luxuriæ. In res autem possessas fit injuria si accipiantur invito domino, vel per furtum occulte vel per rapinam manifeste, et violenter. Et de hoc agit quæstione LXVI.

Quot vero modis fiat injuria verbo, sive in judicio, sive extra judicium considerat deinceps sanctus doctor, et nos in præsentem omittimus, latius enim de his egimus in tractatu de connexionione partium, et ordine quæstionum, ubi ista videri possunt, ad tractatus de homicidio, et irregularitate a vobis expostulatos proferantes. Quos quidem sub brevitate perstringemus articulos D. Thomæ, ubi opus fuerit unica commentatoria disputatione percurrentes.

## EXPLICATIO LITTERÆ

## DIVI THOMÆ.

In articulo primo inquit S. Thomas utrum occidere quæcumque ventia sit illicitum. Constans est apud omnes resolutio D. Thomæ negans in præsentem esse quoruncumque viventium præter hominem occisionem. Probat sanctus doctor ex Augustino libro primo de civitate, cap. xx, dicente: « Cum audimus, non occides, non accipimus hoc dictum esse de fructibus quia nullus est eis sensus; nec de irrationalibus animalibus, quia nulla nobis ratione sociantur. Restat ergo quod intelligamus de homine quod dictum est non occides. » Ratione probat, quia nullus peccat per hoc quod utitur re aliqua ad hoc ad quod est; inferiora autem creata secundum Aristotelem fuerunt propter ea quæ sunt perfectione præstantia; ut herbæ propter animalia, reliqui fructus, et animalia ipsa propter hominem, utpote quæ ventia adjumento nobis sunt, et mortua in cibum, vestitum, et in alios usus. Licitum ergo est plantas mortificare in usum animalium, et animalia in usum hominum occidere.

Conclusio ista usque adeo vera est, ut sit etiam verissima fidei catholice confessio, cujus contrarium sensit Manichæorum hæresis ut loco citato Augustinus refert, et sexto etiam contra Faustum Manichæum. Aiebant enim vesani illi animalium animas membra esse Dei, et ideo impium esse eorum carnibus vesci. Quæ quidem hæresis præterquam quod ab Augustino refutatur, expresse etiam Genes. ix evincitur, ubi asseritur: *Omne quod movetur erat vobis in cibum*; et multis aliis in locis tam veteris, quam novi testamenti, unde nulli de præfata conclusione licet dubitare.

In articulo secundo inquit utrum sit licitum occidere peccatores. In quo a brutis pecoribus primus gradus sit ad improbos, seu maleficos homines, qui a sua per peccatum degenerantes, in jumentorum naturam Davidis testimonio desciscunt. Dubitatur ergo an illos liceat morte mulctare. Conclusio S. Thomæ est affirmativa, quam probat primo in argumento Sed contra ex illo Exod. xxii: *Maleficos non patieris vivere*: et ex Psalmo c: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*: perpulchra est ratio D. Thomæ prædictæ conclusionis probativa, quam ex superiori articulo deduxit; in quo quidem definivit ob id licere animalia bruta mactari, quia in nostrum usum sunt ordinata, sicuti imperfectius ad perfectius: ergo cum omnis pars facta sit a natura propter totum corpus, atque adeo ubi saluti hominis necessarium est membrum putridum rescatur ne contagione cætera membra deperdat, et singuli civium totius sint reipublicæ partes, consequens fit ut ibi incolumitati reipublicæ expedierit, ipsa jus habeat civem morte reseccandi ne totam inficiat.

Scotus in iv, dist. xv, quæst. iii asseruit illud præceptum non occides generale, et universale esse ut constat ex Exodo, ubi absolute ponitur, et ex quinto Matthæi ubi etiam absolute refertur. Ex quibus infert non licere publicis magistratibus interficere maleficos, nisi eos quos Deus, vel lex divina jusserit interficere: et sic licere fures nocturnos occidere, quia antiquitus id jussit Deus lege; nequiquam vero diurnos, sicut neque adulteras morte mulctare, quia licet id Deus in lege antiqua præceperit, Joannis ta-

men octavo id abrogasse videtur mulierem adulteram (de qua ibi fit mentio) absolvens.

Nihilominus falso inniti Scotum fundamento ex eo probatur, quia falsum omnino est præceptum illud non occides si generaliter, et universaliter intelligi, ut cunctas in universum hominum occisiones comprehendat, cum ad Romanos XIII loquens Paulus de magistratibus publicis dicat: *Non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in ira ei, qui male agit*: ergo licitum erit prædicto uti gladio ad occidendum, et reseccandum membra putrida, et reipublicæ nociva.

Nec sufficit dicere licitum esse gladio uti solum in casibus in lege antiqua expressis; tum, quia invasorem inculcata tutela transfigere licitum est in communi omnium sententia, et tamen lege veteri id expresse non habetur; tum, ad hominem contra Scotum, quia ex sua sententia adhuc hodie non liceret fures nocturnos occidere; si quidem lex antiqua quantum ad judicialia abrogata est in morte Christi, et in lege nova nulla est lex lata de interficiendo quocumque homine; tum, quid securius, quidve sanctius quam hæreticos igne cremare? Nec tamen Deus legem aliquam de hoc tulit; tum denique, quia Deus qui est auctor naturæ per leges positivas non destruit legem naturæ, quin potius perficit, sed secundum Scotum præceptum illud non occides est præceptum naturale, ergo legitimus ejus sensus erit, quem ratio nos naturalis docet, et consequenter eo usque generale erit quousque natura vitam vult humanam conservari; ergo in casibus in quibus naturalis ratio hominis occisionem aut jubet, aut permittit, licitum erit homines interficere.

Ex quibus infertur pro pleniori totius articuli intelligentia, quod aggressoris interfectio non est prædicti præcepti exceptio, quia tale homicidium non est veritum a natura, sicut neque malefactorum extinctio, quæ publica fit auctoritate, quoniam unquam fuit tali præcepto comprehensa. Quo enim se quisque jure tueri potest cum hostis internecie, et quo potest sibi membrum amputare, ut ipse sit sopes, potest respublica se incolumem per civis necem observare. Unde princeps qui licet recta ratione doctus potest leges novas facere mortis inflictivas. De quo in lege capitulum, ff. de pœnis, ubi incendiariis, atque aliis pœna capitis decernitur, et patriciæ in dolium oclusi submerguntur, hæretici exuruntur, læsores majestatis meritissimo dilaniantur, etc.

In articulo tertio inquit utrum occidere hominem peccatorem liceat privatae personæ; et conclusio est negativa; videlicet, non licere unicuique privato scelerosum hominem occidere, sed soli reipublicæ, principi, ac publico magistratui. Hanc probat ex Augustino libro primo de civitate Dei, capite xxvi, dicente: « Qui sine aliqua publica administratione maleficum occiderit velut homicida judicabitur: et tanto amplius quanto sibi potestatem a Deo non concessam usurpare non timuit. »

Ratione in corpore sic, quia licitum est facere quod ad salutem totius communitatis ordinatur, sed malefactorem occidere in commodum vergit totius communitatis, ergo illi præcise incumbit, cui cura commissa est, et custodia communis boni: quemadmodum amputatio membri, quæ proficua est corpori, medico præcise incumbit cui cura infirmi demandatur. Cura autem communis boni commissa est principibus habentibus publicam auctoritatem; eis ergo solum licet malefactores occidere, non autem privatis personis.

Hic solum notatu dignum est, cur illi privato nefas sit alterum occidere, nec etiam in vindictam sui ipsius. Et præter rationem dictam D. Thomæ constat hoc, ex eo quod si eidem ipsi qui injuriam passus est, vindictam commisisset natura, nemo non se ultra justum vindicasset. Dolor enim illatae injuriæ mentem obæcat, affectumque in rabiem inflammat, atque adeo nemo se quam juste deberet, sed quam posset maxime vindicaret. Quod experientia constat in pernicioso nobilium abusu, qui honoris cære